

turalis, etiam modo factus sine parocho, habet totam rationem naturalis contractus: ergo formaliter mutavit materiam sacramenti, seu contractum illum, quatenus est materia deserviens sacramento, et non solum quatenus est res, quæ erat materia.

XXIII. Respondetur, quod in republica christiana contractus factus clandestine, nec etiam est matrimonium in ratione contractus naturalis; nam cum res publica christiana habeat potestatem ordinandi ea, quæ corporalia sunt, et ad naturam pertinent, quatenus subserviunt fini supernaturali, et apud Christianos matrimonium non contrahatur valide nisi ordinetur ad finem supernaturalem sacramenti, ideo irritatus est iste contractus naturalis in republica christiana, utpote perniciosus respectu finis superioris, et sic nec in ratione contractus naturalis manet. Quod manifeste patet, quia qui clandestine contrahunt, nullam obligationem inducunt in tali contractu: ergo nullo modo est firmus, sed totaliter invalidus. Extra rempublicam autem christianam non est irritus, quia ad Ecclesiam non pertinet de his qui foris sunt judicare; nec una res publica potest statuere circa contractus, nisi respectu eorum qui sibi subduntur.

XXIV. Secundo objicies: Nam sacramentum poenitentiae solum in verbis consistit: ergo non habet determinatam rem, quæ est materia. Consequentur patet, nam S. Thomas loquitur hic de rebus ut distinguuntur contra verba, et ita si in poenitentiae sacramento non sunt res, sed solum verba, non habet determinatas res. Antecedens patet, nam ex parte poenitentis solum est confessio; ex parte sacerdotis solum absolutio.

XXV. Nec dici potest, quod ex parte materiae remotæ includit res,

scilicet peccata, quæ subjiciuntur clavibus. Contra enim est, quia potest contingere quod quis confiteatur solum peccata, quæ in verbis consistant: ergo tunc nullo modo constabit ex rebus. Possunt etiam actus poenitentis, qui sunt materia proxima, esse solum nutus: ergo non habet rem determinatam pro materia.

XXVI. Respondetur in sacramento poenitentiae, rem seu materiam proximam consistere etiam in verbis; distingui autem a S. Thoma res a verbis, non a quibuscumque verbis, sed a verbis ut obtinent rationem expressiorem sacramentalem, et consequenter rationem formæ. Verba autem non obtinent ut expressiorem significationem sacramentalis, sed potius significationem determinabilem per alia verba, non inconvenit quod non computentur pro verbis (licet in se verba sint) sed pro rebus, quia non sunt verba ut sacramentaliter accipiuntur, id est, ut expressius determinant materiam aliam significativam, sed potius sunt verba determinabilia ab alia expressiore significatione verborum; et ideo pro materia computantur, non pro forma sacramentali, esto in se verba sint.

XXVII. Dicitur etiam, quod materia poenitentiae non sunt verba solum, sed etiam nutus, vel quidquid sufficienter dolorem peccatorum manifestare potest explicando peccata; forma autem non potest esse nutus, sed solum verba absolutio- nis; et sic materia distinguitur adhuc a verbis, et vocatur res. Nec propterea est indeterminata, quia licet non habeat unitatem in specie ultima quasi physice, habet tamen in unitate generica, quæ est sufficiens ad unitatem sacramentalem; quia bene stat, quod id quod in uno genere non habet unitatem nisi genericam, pro alio (videlicet pro

sacramentali) habeat unitatem ultimam et sufficientem. Quod vero materia remota sint res aut verba, parum interest, quia solum pro materia remota respicit peccata, quæcumque illa sint, et in quacumque materia, aut modo fiant: unde ubi est ratio peccati, est materia remota, non quia verbo aut opere patratum, sed quia peccatum.

XXVIII. Tertio objicies: Nam in lege naturæ non fuerunt sacramentorum materiæ immediate determinatae a Deo: ergo neque in lege veteri et lege gratiæ. Antecedens conceditur a S. Thoma et consequentia probatur, nam ideo colligit S. Thomas materiam sacramentorum determinari a Deo, quia ipse est causa sanctitatis nostræ: sed etiam erat causa sanctitatis in lege naturæ: ergo eodem modo debebat utrobique materias determinare; vel si non in illa lege, neque hic. Similiter sicut sacramenta sunt modo Ecclesiæ fundamenta, ita et in lege naturæ: ergo sicut ex hac ratione debuit Deus perse immediate sacramenta modo instituere, ita et in lege naturæ; vel si hoc non obstante id non fecit in lege naturæ, neque modo.

XXIX. Confirmatur, quia sacramenta legis scriptæ ita se habebant ad causandum gratiam, sicut sacramenta legis naturæ: ergo si ex eo quod Deus causat gratiam, debuit per se illa sacramenta instituere, etiam in lege naturæ. Confirmatur secundo, quia licet solum auctoritative Deus sit causa sacramenti, sicut et gratiæ, tamen ministerialiter etiam alii possunt ad id concurre: ergo non bene colligitur, ex eo quod Deus sit causa gratiæ, debere perse instituere sacramenta, cum posset id alteri committere ut sua auctoritate id faceret.

XXX. Respondetur ex illa ratione S. Thomam quasi ex optima con-

gruentia colligere, sacramenta debere a Deo determinari. Modus autem, quo a Deo determinari debet materia sacramentorum, non colligitur a D. Thoma ex illa ratione, sed in solutione ad tertium explicatur ex congruentia singulorum statuum: nam cum sacramenta sint exteriores quædam protestationes religionis, in qua sanctificamur, sicut ipsa lex prodit a Deo, sic et exteriores sacramentorum materiæ. Et ideo quando lex non erat scripta, sed secundum naturam instinctu interiori determinabantur sacramenta, et eorum ritus; securus vero quando lex ipsa a Deo immediate dabatur. Itaque non ex eo præcise quod Deus sit causa productiva gratiæ probat D. Thomas debere sacramenta immediate a Deo determinari, sed ex hac adjuncta congruentia dandi ipsam legem, et constituendi religionem; ex hoc enim determinatur modus dandi, scilicet, immediate a Deo, vel mediate. Et eodem modo dicimus, quod in omni statu sacramenta sunt fundamenta Ecclesiæ; sed non in omni statu immediate a Deo Ecclesia fundatur, et sic nec sacramenta.

XXXI. Ad primam confirmationem respondetur illam rationem D. Thomæ probare simpliciter, quod Deus debeat instituere sacramenta, sive mediate, sive immediate. Ex congruentia autem quadam probat magis, quod debuit Deus instituere immediate sacramenta legis veteris, quam legis naturæ; tum, quia ipse perse immediate talem legem dedit; tum, quia licet non causarent gratiam, nimis tamen accedebant et exprimebant merita, et passionem Christi, ex qua omnis causatio gratiæ est, et ex particularitate hac congruebat ut immediate a Deo instituerentur.

XXXII. Ad secundam confirmationem dicitur, quod bene potest Deus

mediante alio, cui commiserit auctoritatem suam, instituere sacramenta; et fortasse ita fecit in lege veteri, quæ ordinata est per Angelos in manu mediatoris, ut dicitur Gal. iii; sacramenta autem nostra ob sui excellentiam et maximam cum Christo Domino conjunctiōnem, ab ipso Verbo divino incarnato immediate facta sunt, et ex latere ipsius in cruce fluxerunt. Cæterum etiam posset dici, quod in lege veteri immediate sunt instituta a Deo, et licet mediaverit Angelus et Moyses, non mediaverunt ut instituentes, sed ut deferentes mandata Domini et promulgantes. In lege autem naturæ respublika erat ut instituens, mediante tamen interiori Dei instinctu.

ARTICULUS VI.

Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba?

I. Prima conclusio: Congruum est, quod sacramenta constent ex rebus sensibilibus et verbis, præsertim quando significatio ipsa perfecta est.

II. Secunda conclusio solutione ad secundum: In sacramentis ex verbis fit quodammodo unum, sicut ex materia et forma, in quantum per verba perficitur significatio rerum.

III. Tertia conclusio solutione ad tertium: In sacramentis veteris legis non erat necessaria forma verborum ad expressionem similitudinis; erat tamen usus verborum in his, quæ ad cultum Dei pertinebant.

IV. Primam conclusionem ostendit S. Thomas; tum in argomento Sed contra ex auctoritate Apostoli id in baptismo docentis, Ephes. v: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo*

vitæ: et auctoritate Augustini tractatu LXXX in Joannem id universiter dicentis de omni sacramento: « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum; » tum etiam in corpore articuli ex tribus, ad quæ dicunt habitudinem sacramenta, et a quibus pendent, scilicet, ratione causæ sanctificantis per ipsa sacramenta respectu hominum, qui sanctificantur, et respectu significatiōnis sacramentalis. Ex parte quidem causæ sanctificantis, cum illa sit Verbum incarnatum, fit quod ad hoc ut sacramentum ipsi perfecte conformetur, congruum est quod constet ex re sensibili et verbo, et ita sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato processerunt, hoc maxime congruit.

V. Ex parte vero hominum suscipientium, quia constant anima et corpore, ut eis perfecte proportionetur medicina quæ in sacramentis adhibetur, oportet quod constent ex re sensibili ut materia, et verbo ut forma, ut per sensibilem rationem corpus tangant, et per invisibilem virtutem verbi animam abluant. Ex parte vero significationis constat inter omnes significationes, quibus homines ad invicem utuntur et communicantur, principaliorē locum obtinere verba, quæ expressius et melius conceptum significant. Ut ergo significatio sacramentalis esset expressior, oportuit quod adhiberentur verba, ut per ea determinaretur significatio magis imperfecta rerum; sicut aqua potest humiditatem significare et frigiditatem, etc. accidente autem verbo: *Ego te baptizo*, determinatur ad significandam ablutionem animæ.

VI. Secundam conclusionem explicat S. Thomas, quia bene stat quod res, quæ sunt in diverso genere, fiant unum in alio genere; et sic verba et res in ratione signi sacramentalis fiunt unum, quia non

sunt nisi unum signum. Et quia in ista ratione signi datur aliquid perfectius et actualius in significando, quod determinet aliud minus perfectum in significando, habebunt se sicut materia et forma.

VII. Tertiam conclusionem ostendit S. Thomas, quia significatio sacramentorum erat obscurior et minus perfecta, et sic non indigebat verbis tamquam formantibus et determinantibus ea in genere signi.

DUBIUM PRIMUM.

Circa primam conclusionem D. Thomæ.

AN NECESSÈ SIT SACRAMENTA CONSTARE REBUS ET VERBIS TAMQUAM MATERIA FORMA?

Conclusio est affirmativa.

VIII. Et in illa loquimur solum de sacramentis novæ legis, non antiquæ; nam ritus sacramentorum veteris legis sine verbis conficiebatur, ut constat in circumcisione, et aliis, quorum materia nullo modo includebat verba; sed si quæ adhibebantur erant ad divinum cultum spectantia, aut in gratiarum actionem, vel benedictionem aut depreciationem, non tamen in materiam aut essentiam sacramenti. Ratio vero præcipua hujus ex institutione pendet, quia sic instituta legimus illa sacramenta, ut sine verbis tota earum significatio impleretur. Congruentia vero sumitur ex his, quæ docet S. Thomas solutione ad tertium, quia illis minus expresse significare conveniebat, et ideo minus exprimente significativo constare debebant; verba autem sunt maxime significativa inter homines: ergo non erat illis congruum constare verbis.

IX. Pro intelligentia ergo con-

clusionis notandum est, quod duo in illa dicimus. Primum est, quod omnia sacramenta novæ legis constant rebus et verbis: secundum est, quod res istæ, et verba se habent tamquam materia et forma. Et prima pars constat ex institutione Christi Domini qui omnia sacramenta novæ legis sic instituit; et congruentiae D. Thomæ, præsertim ultima, satis id convincunt; nam in nova lege oportuit sacramenta fidei ejus apertiora et expressiora esse quam in quolibet alio statu, utpote cum fides ipsa etiam determinatus et expressius res credendas proponat. Si autem ex solis rebus constaret significatio sacramentalis, obscurior esset, cum res sint minus determinatae ad significandum præsertim spiritualia, quam verba; cum hæc, ex eo quod a conceptione descendunt, determinatus significant.

X. Igitur ut significatio quoque sacramentalis magis sit determinata et expressa, verbis debuit perfici. Constat etiam id ex sacris litteris, ubi in plurimis sacramentis, ut baptismo, pœnitentia, eucharistia, et extrema unctione verba ponuntur, et res declarantur. Ac denique in concilio Florentino definitur, omnia sacramenta novæ legis constare verbis et rebus, explicanturque singulorum materiæ et formæ, præterquam matrimonii.

XI. Secunda pars sumitur et ex Concilio Florentino citato, et ex Tridentino etiam sess. XIV, cap. I, dicente: « Sacramentum pœnitentiae constare ex materia et forma; » et ex communi theologorum consensu, quorum una vox est, sacramenta debere habere materiam et formam, nec Ecclesiam posse mutare materias, aut formas sacramentorum, quia sunt de eorum essentia. Et ratio S. Thomæ est satis efficax, quia ubi unum est deter-